

SECUNDA PARTIS ASIAE,
 typus, qua oculis subijciuntur itinera nautarum qui
 Calecutum India mercandorum aromatum causa fre-
 quentant, ac eorum quoque qui terras tri itinere adie-
 runt Suacham, Laccam, in domino Prato Iani, nec
 non eorum qui Aden et Ormuz inuisunt, et Bal-
 saram quoque castrum, supra Euphratem fluvium
 situm, omnia suis gradibus subiecta, cum longitudinis
 tum latitudinis Iacobo Castaldo Pedemontano auctore.

Gerhardus de Iode excudebat.

Miliaria Italica

ISOLE PALANDVRE.

ARCIPELAGO DE MALDIVAR.

Y^a de Ischia
 Y^a de Resifia

Maliquie
 Quilloa
 Timoo

Rimeo
 Piqua
 Quandala
 Quarda
 Gupar
 Maldiva
 Cedu

ASIAE SECUNDA PARS.

natu, is in totam gentem regnum obtinet: mortuo siquidem rege omnes omnium nobilium vxores, quæ quidem pragnantes sunt, conscribuntur, admotisque custodibus obseruantur, quæque primò enixa fuerit, eius filius regni habenas moderatur. Aurum, argentum & plura aromatum genera terræ peculiaria. Defunctorum corpora stercore abieciora. Nomades Arabia qui habitant iuxta fluuium, colligunt auri ramenta, quod tamen non conflat, artium inscitia. Debæ & ipsi pastores colunt iidem agros aliqua ex parte. Gens auri abundans, inter glebas temerè iacentes aureas pilas glandium magnitudine reperiunt, quibus lapillis affabrè interiectis, monilia conficiunt, haud inuicunda aspectui, & collo & manibus inducunt. Vendunt aurum finitimis triplo aris precio, argenti duplo, tum auri contemptu, tum desiderio earum, quæ commercio parantur. Proximi his Sabæi, thure, myrrha & cinnamomo diuites: & in ora huius terræ balsamū nasci quidā prodiderunt. Habent & palmas odoriferas & calamum. Serpens ibi palmari lōgitudine, letalis ferè eius morsus, in arborum radicibus cubat. Odor nimius rerumque fragrantia stuporem sensibus inducit, quem bituminis suffitu & hirci barba leuant. Penes regem omnis iudicandi ratio. Sabæorum plerique sunt agricolæ: aromata alij legunt. In Aethiopiā ob negotia nauigant, nauigijs corio contextis. Cinnamomum & Casiam loco lignæ materiæ igni adhibent. Huius gentis Metropolis est Saba, supra montem sita, vbi alia auro, alia argento, quædam lapidibus splendent. Nonnulla tum elephantorum dentibus sunt exulta, tum multis præterea rebus alijs. Nec Gerræi his minus opulenti, quorum ferè supplex omnis ex auro est & argento. Ex his enim & ebore domorum limina, tecta, parietes construunt. Nabathæi omnium continentissimi, in quærendis opibus mira gentis industria, sed in tuendis maior. Qui rem domesticam minuit, publicè mulctatur: cōtrā honore afficitur qui matrimonium auxit. Item Panchaia Arabia regio tota fructifera est: nisi vbi arenosa est. Vini maximè abundas & thuris, quod in ea adeò excrescit, vt per vniuersum orbem satisfaciat Deorum sacris. Fert etiam myrrham, & alia varij generis aromata, odorem præbentia, quæ Panchæi legunt, & Arabibus mercatoribus vendunt, illi verò eadem in Phœniciam, Syriam, & Aegyptum transfuehant. Plurimas Arabia nutrit plantas, suauem odorem transeuntibus inspirantes. Natura id soli accidit, vt dulces in ea odores ortum habeant. Nam quibusdam in locis effossa terra, aliqua reperiuntur suaves olentes glebæ, quæ veluti metalla fusæ lapides ingentes fiunt, ædificandis domibus apti. Myrrhæ sarmentis ignes fouent, quorum fumo satis noxio, nisi odore cremati styracis occurrant, plerunque incurabiles morbos contrahunt. Cinnamomum per sacerdotes legitur, hostijs prius caesis, quas cum litauerint, obseruatur, vt nescis nec ortum Solis anticipet, nec egrediatur Occasum. Myrrham iisdem syluis quibus Thus permixta arbore nasci tradiderunt aliqui, gigniturque multis in locis Arabia. Satiua quoque prouenit multum syluestri prælata. Arbori altitudo ad quinque cubitos, nec sine spina, caudice duro & intorto, folium oliuæ, verum crispus & aculeatum. Inciditur bis in anno, sed à radice vsque ad ramos qui valent. Sudant autem sponte priusquā incidentur, statim dictam, cui nulla præfertur. Est itaque myrrha lachryma Aegyptiacæ spinæ, qua incisa effluit lachryma, coagulatur, deinde legitur. Excedit Troglodytica, quæ lucida est, subuiridis est & mordax. Reperiuntur & Brotica, adulteratur gummi, idemque Cinnamomum nascitur apud Troglodytas. Ipse frutex duorum cubitorum altitudine amplissimus, palmique minimus, 4. digitorum crassitudinis, statim à terra sex digitis surculosus, arido similis. Cùm viret non odoratur, folio origani, siccitate gaudens, sterilior imbre fit. Radix eius inutilis est. Gignitur in planis, sed in vepribus, rubisque, difficilis collectu, præcipua bonitas virgultorum tenuissimis partibus, ad longitudinem palmi. Vilissimū quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo summa


gratia. Lignum quod Xilocinamum vocatur, in fastidio est, propter origani acrimoniā. Est & Casia frutex, nascitur iuxta Cinnami campos, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute, verius quàm cortice, amplitudo fruticis 3. cubitorum. Theophrastus dicit, Casiam sarmento crassiore constare ac neruis, idcirco non posse decorticari. Dioscorides verò de ea sic tradit: Casia in Fœlici Arabia nascitur, baculum habet crasso cortice sicut piper. Thus præter Arabiam nullis est terris, ac ne Arabia quidem vniuersa. Regio thurifera spectat ortum Solis æstiu, vndiq; rupibus inuia, & à dextris maris scopulis inaccessible. Sylvarum lōgitudine est schœnorum 20. hoc est 30. miliariorum Germanicorum, latitudo dimidiū eius. Attolluntur colles alti, decurruntque in plana, & nascuntur arbores sponte. Terram argillosam esse conuenit, raris fontibus ac nitrosis. Minæ per quos tramite angusto thus euehitur, primi commercium thuris fecerunt, maximeque exercent. Nec præterea Arabum alij præter dictos thuris arborem vident, ac ne horū quidem omnes. Feruntque 300. esse familias non amplius, quæ ius per successiones id sibi vendicāt. Sacros vocari ob id, nec vllō cōgressu fœminarum, funerumque, cùm incidūt eas arbores aut metunt, pollui, atque ita religione merces augeri. Nec arboris ipsius quæ sit facies constat: quidam terebynthum esse putant, alij lentisco similem subrutulo folio. Meti semel anno solebat, iam questus etiam vindemiam affert. Inciditur ea parte cortex, qua maximè videtur esse pragnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur autem cortex, vulnere non adimitur: inde profilit spumapinguis, hæc concreta densatur, quod verò in arbore hæsit ferro depectitur, ideo corticosum. Quod secunda vindemia colligitur, in eodem anno rusum exit, nec comparandum priori. Creditur & nouellæ arboris candidius, sed veteris odoratius. Hæc pleraque ex Sebastiano Munstero, qui eadē tum ex Strabone, Plinio, tum alijs collegit, huc transtulimus. Et fortasse eorum authorum temporibus ea fuit facies huius prouincia. Qui verò hac nostra ætate eam vidisse profitentur, multa ex his aliter sese habere asserunt, quàm ab illis tradita sint. Duces nimirum itinerum per deserta locorum notitia & vsu Carouanas ducere, nec vti alemna. Ventorum sæuitiam in arenis congerendis nullam esse. Neque binas messes esse, neque equorum penuria laborare. Anseres quoque & gallinas frequētes. Cinnamomi nihil haberi, quod non aliunde importetur. Eboris insuper & Elephantorum nisi aduenticiorum nihil, quorum author est Andreas Theuetus. Fluuij Arabia nobiliores habentur Prion nunc Prim, Ormanus, Laris qui modò Om vocatur. Zibith, & Stygis fons post Climacon montem. Montes verò Arabici hi notiores sunt, in Petra quidem Synai euulgatione decalogi clarus, qui & Oreb, & S. Catharinæ mons. Casius, Har, Seir & Melanes, qui hodie Phasga dicitur. Desertæ autem sunt, Dut, Lyon, & Anna modò vocati. Fœlicis verò Calubatra, Prionthus, Dindymi, Zames nūc Zimas, Marithra nūc Marthimos & Castermuth vocatus. Climax & qui Cinedocolpitorum mons vocatur, nunc Gabel & Sabel, Hippos & Cinoc. Terminatur autē vniuersa quidem Arabia ab Occasu sinu proprio & Aegypto, à Septentrione Syria & Chaldæa, ab Ortu Persico sinu, à Meridie mari Oceano, quod quidā ibidem Rubrum appellant. Meridianus eius Occidentalior gradus habet longit. 68. vbi desertum de Sues: Orientalior verò longit. habet 100. graduum, vbi Corodamum promontorium, nunc Capa Razfalgale dictum, iuxta angustias sinus Persici. Parallellus autem eiusdem Australior latitudinis gradus continet 12. vbi Babelmandes seu Arabici sinus fretum, is quartus est Amphisciorum, diemque æstiuam prolixiorē experitur horarum non amplius 12. Borealior verò parall. gradus latit. habet 31. vbi Carmelus & Seir montes, is est numero nonus, Heterosciorum autem tertius, diem artificialem æstiuam habens horarum 14.

ASIAE TERTIA PARS, VEL INDIA.

Rasentem tabulam (quanquam Scythia Tartariaq; magnam partem visendam exhibeat, dum modo integras nō complectatur) India titulo insigniuimus, quam totā cum suis confinijis representat: cuius qualem cunq; hīc descriptionem adiungere conabimur. At quoniam eius quantitate amplitudineq; dignam historiam texti loci vetat angustia: visum est in hac, perinde vt in superiori à nobis factum est (post enumeratos nominatenus populos, à veteribus hoc tractu locatos, nec non & regiones in hac sitas, cum earundem recentioribus nominibus, fluuiorum insuper & montium insigniorum nomenclaturas) sequi quempiam huius ætatis Geographum: qui non tam veteris quā recentis India, Indicarumq; rerum faciem succinctius, & breuissimo quasi compendio cōplexus sit. Id quod Munsterus præstitisse videtur. Sunt alij recentiores qui idem fortasse melius, prolixius tamen tradidēre, quorum scripta, si quis tabulæ huic conferat, non vulgarem eius prouinciæ notitiam assequetur. India itaque ab Indo flu. Occidentali eiusdem termino, nomen haud dubiè sortita, duplex à Ptolemæo cæterisque veteribus Geographis describitur: quæ enim Indo flu. proxima est & Occidentior Intra Gangem India dicitur, altera verò hunc in Ortum sequens Extra Gangem India appellatur. Quæ Intra Gangem est India, terminatur ab Occasu regione Paropamitadum & Arachosia & Gedrosia, iuxta ipsorum latera Orientalia, à Septentrione Imao monte, iuxta superiacentes Sogdianos & Sacas, ab Oriente Gange flu. à Meridie ac etiam Occasu parte Indici pelagi. Populi gentesq; à Ptolemæo in hac locantur: Lambata, Darada, Gandata, Pādai, Gymnosophista, Detipia, Nanicha, Putinda, Cathria, Tabasi, Magorum gens, Parapiota, Rhamna, Phyllita & Bettigi, Condali, Sorænomades, Biolinga, Pornari, Adisathri, Mandatha, Brachmana, Magi, Arurari, Badiama, Dryllophillita, Cocconaga, Salaceni, Sabara, apud quos adamas abundat, Gangarida, Aij, Pandiones & Bata, & multi præter hos alij, quorum nomina vel ipsa lectione fastidium parere possunt lectori. Regiones autem has præcipuè recenset: Suastenam, Caspiriam, Cylindriam, Goryeam, Varsam, Prasiacam, Saudrabitim, Indo-Scythiam, Patalenam, Abiriam, Laricam regionem, Betanam, Hippocura, Lymiricam, Mosoliam, Pumatam, Caruram, Moduram, Orturam & Malangam. Qui verò nostris temporibus India historiam conscripsere, in hac regna complura numerat, eademq; per amplam à sinu siquidem Canticolpo, qui nunc Cambaja vocatur, ad Gangeticum vsque sinum seu Colchicum, quem modò Golfo de Bengala nominant. Regna hæc ab illis locantur: Iogha, Delij, Manduo, Oriza, Pale, quæ in terra firma Mediterranisq; intra prædictos sinus sita sunt. Decan verò, & quæ hoc sequuntur regna Goa, Mangalora, Boicala, Canonor, Calicuth, Tanor, Narlinga seu Malabar, Cochui, quod fortasse Colchis est Vetterum, iuxta eum sinum enim situm est Coulan, Cholmandel, Bifinagar, Tarnassei, Bengala, Canarin & Craganor, littus sequuntur. Ex quibus huius prouinciæ vastitas & amplitudo liquet ingens: mihi verò vel singulorum saltem situm & limites obiter annotare volenti charta impleretur, cum eadem ipsa pictura assequi liceat, quam si quis Ptolemæi decimæ & vndecimæ tabulis cōferat, quæ regna quarum gentium nunc sedes occupant, haud difficulter assequetur. Fluuij hanc India partem rigantes, fecundantesq; innumeri penè sunt, omnium verò primus maximeq; insignis est Indus, ab accolis aliquando Sandus dictus teste Plinio, hic ex Paropanisio monte seu Caucauo versus Solis ortum scaturiens, octodecim receptis nobilibus amnibus, quorū primi sunt Coa, Suastus, Bidaspus, Vadris, Bibasis, Zaradrus, reliqui paulò minoris notæ sunt: inter Meridiem Ortumq; æquinoctialem lapsus, septem olim ostijs in Indicum pelagus fundebatur, è quibus sex limo vadosa haud nauigabilia extabant, horum primo, quod & Occidentalius est, nomē Sagapa, secundo Sinthium, tertium Aureum appellatur, quartum Cariphi, quintum Spara, sextum Sabaleffa, septimum autem Lonibare vocatur. Hodie mutato nomine quod à Plinio traditum est, ab accolis Indu dicitur, duobusq; solummodo ostijs ab huius seculi nautis, in mare sese exonerare compertus est. Reliqui ab authoribus nominati amnes sunt Mophis, Namadus, Gaorus, Rhenda, Nanaguma, Pseudostomus, Barius, Solenis, Chaberis, Tyna, Mæsolus, Manada, Tyndus, Dosaronas & Adamas. Montes verò tum hos, tum multos alios emittentes sunt Apocopi, qui & Deorum pœnæ dicti sunt, Sardonix, Vindius, Bettigo nunc Gatus, Adisathrus, Vxentus, nunc Vffuntus, Orudijque montes, Binarus insuper & Bipirrus. Altera verò India quæ respectu nostri India Extra Gangem vocatur, vti iam dicta Indo flu. sic

ipsa Gange ab Occasu limitatur, à Septentrione iam dictis partibus Scythia & Serum, ab Oriente Sinis, à Meridie Indico pelago, & parte Prassodis maris. Sinarum verò regio itidem sub India nomine hodie intelligitur. Ganges hīc limitibus circumscripam terram habitauere olim, Ganganæ, Marundæ, Tacorei, Corancali, Passatæ, Tiledæ, Befadæ, Tamenæ Antropophagi, Aminachæ, Inda-prathæ, Iberingæ, Dabasa, Nangalotæ, Cacobæ, Basanaræ, Cudupæ, Barræ & Sindi. Sinarum autem regionem habuere Semanthini, Acadetæ, Spiotæ, Ambaltæ & Ictiophagi Sinæ dicti populi. Quæ prouinciæ in Regiunculas minores sectæ Cirradiæ, Regionē Argenteæ, Lastorumq; & quæ Aurea dicta est, complectebantur. Insuper & Chersonesum Auream vocatā, Calcidem item & Cattigaram. Regna hodie quemadmodum & præcedens India continet permulta & vasta. In Aurea quidem Chersoneso Pegusiam, & Malacca regna nominantur, in reliquo tractu sunt Cimotoi, Aua, Brema, Arcar, Iangoma, Campoia, Campaa, Cacuchina, Tipura & Moin. Vteriusq; in Orientem & in Sinarum regione ponuntur Cathaia, Cambalu, Chequan, China fortassis Sina dicenda, Mangi, Xanthon & Quynsaij, ac nonnulla alia Tartarorum Imperatori parentia regna. Hanc Orientalem Indiam, quam à nonnullis affirmat esse Tharsim Auriferam regionem, ex qua tum aurum, tum gemmas, cæterasq; diuitias ac ornamenta sua Rex Salomon petierit. Cōplures insignes fecundant fluuij, quorū princeps est Ganges Emodijs montibus seu Imao, qui nunc Dalanguer vocatur & Naugracot, ortus omnium totius penè Asia fluuioꝝ maximus, vtpote cuius latitudo 8000. passuum existat, qui milliaria efficiunt Germanica duo, altitudo verò vel minimum passuum viginti: circiter triginta, iisdemq; vt plurimū nauigabilibus amnibus auctus diu nauigationi ob impetum vehementiorem inutilis, donec lacum Chyamaum dictum transfluus superans in Austrum flexus per Palimbrotum regionem placidius delapsus, in sinum à se Gangeticum dictum, quinque ostijs euomatur, horum Occidentalius Cambysum, alterum Magnum, proximū Camberychum, sequens autem Pseudostomum, at vltimum Antiboli vocantur. Ex his duo præcipuè nauigantibus commodiora sunt. Magnum scilicet quod hodie Satigā appellatur, & id quod Antiboli olim, nūc autē Chatigam nuncupatur, portus scilicet huius India celeberrimus. Creditur hic fluuius is esse qui in sacris literis Phison dicitur. Gangis verò nomen vnde ortum sit ex Berosi lib. 4. facile conijcere licet. Vbi inquit: Ianus pater misit in Aegyptum Chamesanuū: in Libyam verò & Cyrenem Tritonem, & in totam reliquam Africam Iapetum priscum Ataala. In Asiam Orientalem misit Gangem cū aliquot ex filijs Comeri Galli. A Gange itaque eorum rege procul dubio Ganges flu. dictus: erat is filius Gogi. Post hunc insignioris notæ fluuij sunt Catabeda, Tocosanna, Sada, Tomata, Besinga, Chrysoana, Palanda, Attaba, Sobanus, Doana, Dorius & Serus, is è Semanthinis montibus fonte duplici ortus, in Meridiem rectā fertur, donec sinui se magno cōdat. In Sinarum deinceps regione sunt Aspithara, Ambastus, Soenus & Cottiarus. Prouinciæ verò huius montes nobilioris famæ sunt: Emodij & Imaus, Bepyrus, Sericique montes, & præter hos Meandrus, Damasus & Semanthini dicti. Atque hæc sunt duæ istæ huius tam vastæ prouinciæ partes, quarum hæc quæ Orientalior est sacra literæ terram Euilat appellare videntur, ab incolis verò suis Macin seu Magin dicitur, alteram autem Seriam in sacris dictam ipsi Hynd vocant. Qui nostris temporibus Indiam frequentant, eam tripartitam faciunt. Inferiorem scilicet, quæ Guzeratam regnum seu Gedrosiam habet. Mediam quæ Narzingæ regnum comprehendit, & id omne quicquid est terræ Indo & Gangi fluminibus interiectum. Superiorem & Orientalem quæ & Canc à Gange flu. dicitur, ea quicquid deinceps ad Orientalem vsque Oceanum, qui nunc Mare de China & Mangi dicitur, terræ porrigitur, sibi vendicat. De his hæc sequentia summatim scribit Munsterus. Prior (inquit) India & quæ nobis vicinior est, includitur duobus magnis fluuijs, Indo, à quo India nomen, & Gange, à Septentrione verò separatur à Scythia, & alijs Septentrionalibus regionibus, per insignē montem Taurum, qui in Pamphilia exurgens, extenditur in Orientem, quousque tandē pertingat ad Indiam. Resilit tamen ad Septentriones, flexu immensum quærit iter, veluti de industria, rerum natura subinde æquora opponēte, hinc Phœnicium, hinc Pontinium, illinc Caspium, contraq; Mæotidem lacum. Torquetur itaque collisus inter hæc claustra, & tamen victor flexuosus euadit, vsque ad cognata Riphæorum montium iuga, numerosis nominibus & nouis quacunque incidit insignis: dictus Imaus, Emodus, Paropamisus, atque alijs & alijs nominibus, pro





TERTIAE PARTIS ASIAE quae modernis India orientalis dicitur accurata delineatio

Autore Iacobo Castaldo Pedemontano.

Gerardus de Iode excudebat.

In queste isole vi sono molti regni cioè il regno de Terrenate Titore Bachian MeSana Zubut et Zolo y Picole nele quale isole se ritrovano ogni sorte de spicarie et drogare.

In questi deserti si Ritrouano alcuni spiriti i quali fanno diversi ingami alli saiadanti acio che si perano nel deserto.

Qui nasce il uero Riobarbaro.

Qui si sono serpe grandissime

Qui in questi monti si sono i Renafroti.

Qui le donne si fanno dipingere la persona

Qui si spendano i corali per danari.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.


Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.

Qui si trouano Robori et Smaraldi et Diamanti.



Tomus à Dreuticum Lucas à Dreuticum fecerunt.